DECANUS SENIOR ET PROFESSORES FACULTATIS MEDICÆ

IN ACADEMIA JENENSI.

L. B. S. P. D.

JENÆ,
LITERIS GOLLNERIANIS.

MEmorabile eſt & notatu dignum, quod de Medicina Hippocrates pronunciat, librum de Flat. ita ordiens: *Sunt quædam artes, quæ illis, quibus earum cognitio contigit, multum laboris exhibent; illis verò, qui earum uſu indigent, utiles, imò plebeis hominibus commune bonum ſunt: his vero, qui eas exercent, plane moleſtæ. Ex harum artium numero eſt ea, quæ Medicina appellatur. Medicus enim oculis perluſtrat ſingula pericula, contrectat etiam nulla voluptate, & ex alieno malo proprias ſibi demetit moleſtias.* Poſſet certe ejusmodi ſententia, a parente Medicinæ ipſo, & *ma-*

& *maximo*, ſecundum Senecam, epiſt. 95, *Medicorum hujusque ſcientiæ conditore* prolata, durius omnino ab iis accipi, qui indolem & arcana artis præſtantiſſimæ adhuc ignorant, ut vix aliam de ea, quam triſtem & horribilem imaginem concipientes, haud reputent, δύσκολα τὰ καλὰ εἶναι, nec planam atq; expeditam, ſed flexuoſam potius ac aſperam ad aſtra & honoris ſolium viam dari. Haud patitur præſentis inſtituti ratio, prolixioribus encomiis utramque paginam implere; cum dudum ante nos decore & cum applauſu hoc officio defuncti ſint, qui ſtilo oratorio de divina arte, pro merito evehenda ſategerunt; & ſatis erit, unicum hac vice teſtimonium Democriti, ſummi ſuo tempore philoſophi, in medium adducere, qui, libro de natura hominis, ipſum Coum ita com-

pellat:*Omnes homines artem medicam noſſe oportet; eſt enim res honeſta atq; utilis advitam; & eos quidem maxime, qui eruditionis atq; eloquentiæ cognitionem habent. Nam ſapientiæ cognitionem medicinæ ſororem eſſe ac contubernalem puto. Sapientia enim animam ab affectionibus liberat : medicina vero morbos a corporibus aufert. Augeſcit autem ſapientia præſente ſanitate ; cui proſpicere honeſtum eſt recte ſentientibus. At ubi corporis habitus ægrotat, neque mens ipſa quidem alacritatem habet ad virtutis meditationem; quia morbus præſens animam obſcurat vehementer, & intellectum per conſenſum ad perceptionem ejus trahit.* Eſt profecto hoc egregium de neceſſitate pariter inſigni, ac ſumma ſimul dignitate uſuq; Artis noſtræ ampliſſimo argumentum, tanto majori fide dignum,

quo

quo major ille fuit habitus, unde iſtud fluxit. Jam vero Hippocrates Democritum non ſolum ἄριστόν τε φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν, *optimũ naturæ atque mundi interpretem*, in epiſtola, ad ipſum ſcripta, vocat; ſed in alia quoq; ad Damagetem exarata, ita loquitur: οὐ παρέκοπτε Δημόκριτος, ἀλλὰ πάντα ὑπερεφρόνεε, καὶ ἡμᾶς ἐσωφρόνιζε, καὶ δι᾽ ἡμέων πάντας ἀνθρώπους, *non inſanit Democritus, ſed ſuper omnia ſapit, & nos ſapientiores fecit, & per nos omnes homines.*

Permoverunt hæc, & multo plura alia, in laudem Medicinæ facientia, nobiliſſimum atq; experientiſſimum CAROLUM MAXIMILIANUM HELDIUM, Cunreutho Francum, ut, poſthabitis reliquis diſciplinis omnibus, ad hanc unice adſpiraret. *Habet enim hoc*, verbis Senecæ, epiſt. 39, *in ſe generoſius animus, quod concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii*

genii virum humilia delectant & ſordida; magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat & extollit. Satis itaq; in Heilbrunnenſi atq; Swinfurtenſi Gymnaſiis ad ſtudia ſublimiora in Academia, cũ fructu tractanda, præparatus, in noſtra, per Divinam benedictionem, & ſereniſſimorum Ducum Saxoniæ munificentiam, hactenus ad invidiam florentiſſima Salana, quinq; fere annorum ſpatio, non eas ſolum Philoſophiæ partes, ex quibus oculos & manus Medicina ſibi præſtolatur, Logicam puta & Metaphyſicam, una cum Phyſica & Matheſi, ſibi familiares reddidit; ſed univerſum etiam artis ſervandorum hominum ambitum, per publicas privatasque manuductiones Doctorum, a DEo, ſereniſſimisq; Nutritoribus huc conſtitutorum, feliciter emenſus eſt. Adſcriptus die VIII Januar. Candi-

di-

didatorum Medicinæ numero, & ad conſueta examina admiſſus, die XIIX. Junii, in publica cathedra, ſub præſidio Slevogtiano diſſertationem inauguralem de *Matrona nobili, fluore albo laborante*, maſcule defendit, *Licentiamq;* Doctoratus gradum aſſumendi ſibi comparavit.

Quibus omnibus peractis, tandem die XXX Junii, in Conſeſſu noſtræ Facultatis, a Brabeuta legitime conſtituto, & ad hunc actum autoritate Cæſarea inſtructo, D. Georgio Wolffgango WEDELIO, Hæred. in Swarza, Theoret. P. P. celeberrimo, Com. Pal. Cæſ. Conſiliario & Archiatro Saxonico ſpectatiſſimo, conſuetis formulis, in nomine SS. & individuæ Trinitatis, DOCTOR MEDICINÆ renunciatus, ſimulque privilegiis ac emolumentis Doctoralibus, per univerſum

Roma-

Romanum Imperium decenter uſurpandis, eſt ornatus. Gratulamur proinde nobiliſſimo noſtro Doctori novello, de tanta dignitate, ipſi collata, fauſtosq; in Praxi & reliquis actionibus omnibus ſucceſſus ex animo apprecamur: ſpondentes, proxima occaſione data, ipſum, inter alios iſtiusmodi honorum petitores, cum omnibus, uſu & more majorum receptis ceremoniis, ad ſplendorem magis, quam promotionis valorem pertinentibus, ex publico ſuggeſtu proclamatum iri. Dabatur ſub Sigillo Facultatis, die xxx. Junii, An. MDCCIII.

L. S.